

Per patientiam curramus propositum nobis certamen.

Lectio Epistolæ ad Hebræos

12, 1-4

Fratres:

- ¹ **N**os tantam habentes circumpositam nobis nubem tēstium,
deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum,
per patientiam curramus propositum nobis certamen,
² aspicientes in ducem fidei et consummatorem Iesum,
qui pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem,
confusione contempta,
atque in dextera throni Dei sedet.
³ Recogitate enim eum,
qui talem sustinuit a peccatoribus
adversum semetipsum contradictionem,
ut ne fatigemini animis vestris deficientes.
⁴ Nondum usque ad sanguinem restitistis
adversus peccatum repugnantes.

Verbum Domini.